

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

absque parentum consensu contracta nihilominus rata esse debere, quin eo progreditur, ut secus sentientibus anathema scribat. Contra vero Ecclesia Gallicana affirmativam quæstionis partem amplectitur, ita requirens Parentum consensum ad esse matrimonii, ut sine eo irritum sit ac nullum. Quæ de re ante annos non ita multos nempe Anno 1674. liber prodiit singularis in hoc argumento totus occupatus, qui inscribitur: *Regia in matrimonium potestas* Auctore Johanne Launojo. Non placuit iste liber Romæ, cui proinde Dominicus Galeusius Rubensium Episcopus & Canonici Juris Professor Roman. alium opposuit tractatum, sed paulo post a Launojo graviter & solide refutatus est. Ecclesiæ Gallicanæ sententiam Rex ipso facto fortiter tuetur, in omnibus Judiciis severe animadvertens in eos, qui minorenes insciis parentibus conjugium contraxere: nec quicquam obstat, quo minus ejusmodi matrimonia, etiamsi per aliquot annos contracta, si Parentes velint, rescindantur, vel potius, ut loqui malunt, pro irritis & nullis declarentur. Ita enim ad essentiam matrimonii consensum Parentum requirunt, ut citra eum matrimonium *essentialiter & formaliter* incompletum imo nullum fuisse dicatur. Anno 1681. Rex Galliæ etiam in Lotharingia edictum publicari jussit, ante vigesimum quintum annum citra consensum Parentum a nemine matrimonium valide contrahi posse. Et in Alsatia, quæ Regis imperio subest, publica quoque sententia cautum est, ne quid liceat clandestinis connubiis; quæ Rex pro raptu habeat, eandemque delinquentibus poenam interminetur, quæ raptoribus decreta est.

§. XIV.

In causis matrimonialibus quis iudex esse debeat, hinc quoque lis oritur. Gallia enim Regi suo cognitionem causarum matrimonialium, itemque leges circa eas vindicat; Roma vero ad Forum Ecclesiasticum hoc negotium spectare clamat. *Concilium*

cilium Tridentinum conceptis verbis in eum, qui ad Judices Ecclesiasticos causas matrimoniales pertinere negaverit, anathema pronunciat. Hic ergo quis invicem conferat Concilii Tridentini & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam: Illud matrimonia sine consensu Parentum contracta pro ratis habet; hæc pro irritis. Illud causas matrimoniales soli iudicio Ecclesiastico subijcit; hæc autem legibus & statutis civilibus eas submittit. Illud anathema dicit secus sentientibus; Hæc brutum anathematis fulmen ridet, & ipsa damnat. Quod Concilium Tridentinum pro licito & rato habendum definivit, Gallia ut raptum prohibet, pœnaque gravissima coërcet. Judicet æquus Lector, an hæc sint parvi momenti, & qualis illa sit, quam jactant, Sacerdotii & imperii concordia.

NOTA. Optatus Gallus in libro de cavendo Schismate Gallie, cujus supra mentionem feci, hoc argumentum fortissime urget, nec sine ratione. Babardus in responsione sua frustra hunc ictum declinare conatur, quod infra docebitur.

§. XV.

Supra dixi, rejectum a Gallis Concilium Tridentinum, nec nisi sero & ægre receptum fuisse; Juvat igitur ab alto repetere hujus rei memoriam. In ipso Concilio Tridentino Episcopos Galliæ plurimis Patrum decretis contradixisse, paulo ante observavimus. Finito autem Concilio, an recipi in Gallia deberet, diu in utramque partem & satis quidem graviter disceptatum est. Henricus II. adversus Concilii decreta plus vice simplici protestatus fuerat. Henricus III. nullis precibus adduci potuit, ut publicæ ejus receptioni annueret. Anno 1579. clerus Gallicanus sollemnissime apud Henricum III. precibus instabat, ut promulgationi publicæ locum faceret: Ille vero rem esse dicebat altioris indaginis, de qua nihil ante statuere possit, quam mentem Consiliariorum & præcipue Parlamenti sententiam perceperit. (α) Rediere postea Anno 1585. ad eundem Regem Cleri Oratores, idem vehementissime rogantes, sed re-